



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

[L. Cœcus lumine donatur.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

C A P V T L.

Cæcus lumine donatur.

ST Ecclesia parochialis Ecclesiae B. Petri in veteri Castro contigua. Iuxta quam residens cæcus quidam, audiuit concentum popularium in reparacione cuiusdam ægri deuotissimè congratulatum. Erat autem hic de terra, & de gente Sclavorum: quibus simplicitas, vel irrationabilitas, prauitate quadam ingenij, naturalis est adeò, vt vix vel tenuem fidei videantur habere scintillam. Quærit ergò causam talis concentus. Cui, cùm pro sanatione languentis hæc fieri, indicatum esset, ait: *Iste HEINRICKVS Teutonicus cum sit, solus Teutonicus gratia sua præstat subsidium: Mibi verò, genti q[ue] me & hominibus nihil vñquam beneficij contulit. In risum ergo, qui aderant, excitantur. Quidam verò sanioris animi, vt Ecclesiam petat pro salute sua rogaturus, adhortantur. Ductus itaq[ue], vbi reliquæ Beati Confessoris seruabantur, humili prosternitur: Et paulò post pietatem Teutonicici, Sclausus ipse, quam negari sibi querebatur, experitur. Cœperunt enim ab oculis eius albedines in modum squamarum auelli, optatumq[ue] lucis suffragium in eo redintegrari. Vnde gens illa, quæ vt dixi, rustica simplicitate, & fidei pusillanimitate se sperni arbitrabatur, hoc beneficio, fiducia, speq[ue] resumpta, vltra omnes Beatum HEINRICVM studio deuotiori venerabatur.*

C A P V T L I.

Claudius curatur.

ST VIUS rei, quam dicturus sum, tot ferè testes habentur, quot fratres, qui tunc temporis fuere, apud prefatam B. Petri Ecclesiam inueniuntur: qui eam tanto fidelius, quanto verius agnouisse contigit, attestantur. In quadam eorum villa ciuitati proxima, rusticus quidam, graui taetis infirmitate, officium pedis vnius amiserat, adeoq[ue] arentibus neruis ac carne præ mortua emarcuerat, vt humana solertia, vel studio in eo recuperari sanitatem, tam ipsi,